ſtultis alioꝝ conſilijs aſſentire Jdeo eua ſtulte locuta ē ꝯſulendo viro ſuo vt de vetito fructu māducaret. quia prius legitur fuiſſe locuta cū ſerpente inſtruente facere malum. ꝙ cum deo in oratione vel cum viro inſtruēte vt ab eo reciperet documentū. Geneſis.tercio. Vxor aman audiens querimoniam viri de mardocheo ſtultum dedit viro conſiliū ⁊ ille ſtultius credidit ei dicēti Jube excelſaꝫ trabem parari Heſter.quinto capitulo De hac materia quere plura exempla de conſilijs malis. capitulo.xxxij.

Loquūtur aliquādo mulieres ſtulte reuelādo ſecreta eis impoſita que cōtinere nō poſſunt. ideo ſtultum eſt viris eis reuelare ſecreta. Naꝫ vxor ſampſonis ſtatī quādo ꝓpoſitionem didicit a marito in damnum eius alijs reuelauit inimicis. Judicum. decimooctauo. Dalila ſciēs vbi eſſet fortitudo ſampſonis ſtatiꝫ illud reuelauit inimicis. Judicum. decimoſexto.

Loquūtur mulieres ſtulte aliquando rixando cū vicinis bonum conuertendo in malum. nam quia dauid ex magna deuotione ſaltauerat ante archam. vxor eius ironice ⁊ quaſi conuiciando dixit ei. ꝙ glorioſus ē hodie factus rex diſcooꝑiens ſe añ ancillas ſeruorum ſuorum. ij. Regum. ſexto ca. Ancilla ſare reprehēſa a domina ſua rixando dixit. amplius non videamus ex te filios interfectrix virorum tuoꝝ. Thobi. iij. Vxor thobie cum rixa ei cōuiciando reſpondit. Vana facta eſt ſpes tua Thobi. ſecundo. Vxor iob cōuiciando ei dixit. Bñdic deo ⁊ morere. Cui Job. quaſi vna ex ſtultis mulieribus locuta es Si bona ſuſcepimus de manu domini mala autē quare non ſuſtineamus. Johānis ſecundo capi.

De luxuria ⁊ incōtinētia

Luxuria ⁊ incõtinentia eſt

Cauſa homicidiorum
Odiuȝ domeſticorum
Origo multorum maloꝝ
Reatus multaꝝ penarum.

Luxuria occaſio eſt ⁊ fuit homicidioruȝ ⁊ effuſioīs ſanguinis Nam ꝓpter violentiam dine ſichem ⁊ emor cum habitatoribꝰ ciuitatis occiſi ſunt Geneſis .xxxiiij. Occaſione vxoris leuite incredibiliter vexate luxuria multi homines interfecti fuerunt Judicum .xx Amon ꝓpter violationē thamar ſororis ſue ab abſalone in conuiuio eſt occiſus. ſecūdi Regum decimotercio capitulo. Dauid propter pulchritudinē berſabee captꝰ cū proditione homicidium ꝑpetrauit. ſecundi Regum vndecimo capitulo. Propter luxuriam herodis ⁊ herodiadis fuit Johannes baptiſta nequiter decollatus in carcere. Marci ſexto. Quia hyſboſeth abner reprehendit ꝙ ad concubinam patris eius fuerat ingreſſus facta eſt indignatio inter eos . ⁊ ambo poſt tempus modicum fuerūt occiſi. ſecundi Regū .iij. ⁊ .iiij.

Luxuria nulli parcit. nam domeſticus et familiaris eſt hoſtis. ⁊ ideo multum timeri debet Nam deiecit virtuoſitate potētes Sic deiecit ſampſonem per dalilam Judicū decimoſexto. Deprimit ſanctitate viuentes. Sic depreſſit dauid per berſabee . quam lauantem aſpexit. ſecūdi Regum .xj. Dirimit probitate potentes. Sic diremit holofernem propter Judith quā cōcupiuit Judith duodecīo Decipit ſagacitate prudentes. Sic deceptus ſalomon eſt per mulieres quibus adheſit .iij. Regum .xj. Deſtruit honeſtate ſeneſcentes Sic deſtruxit duos ſenes propter ſuſannam cuius pulchritudinem aſpexerunt Danie. xiij.

Luxuriam ſectantibꝰ mul
ta mala ⁊ incommoda acci-
dunt. ꝓpter que luxurie vici-
um eſt ab hominibꝰ omnibꝰ
preſertim chriſti familiaribꝰ
deteſtandum. de quibꝰ quin
qꝫ ꝯſideranda ſunt. Primū
eſt diuina indignatio cum ſe
ueritate. Nam cauſa diluuij
videtur fuiſſe luxuria. qꝛ om
nis caro corruperat viam ſu
am. Ideo dixit dominus ad
noe. Delebo hoīem quem
formaui Geneſis. vj. Secū
dum eſt dyabolica habitatō
cum poteſtate Nam qui libi
dini vacant. habent ſuꝑ eos
demonia poteſtatem Thobi.
vj. Ob hanc cauſam petie-
runt demonia inhabitare por
cos .i. luxurioſos Mat. viij.
Terciū eſt glorie celeſtis pri
uatio ex iniquitate nam ſi vx
ores ducentes nō fuerunt di
gni cena domini quid erit de
adulteris. fornicarijs ⁊ alijs
generibus laſciuoꝝ Lu. xiiij
Quartum ē temporalis ſub
ſtantie minoratio cum pauꝑ
tate. Nam filius ꝓdigus diſ
ſipauerat ſubſtantiā luxurio
ſe viuendo . ⁊ cum conſump
ſiſſet omnia ipſe cepit egere.
Luce. xv. Quintum eſt libi
dinis accenſio ſine ſaturitate
Nam luxuria non extinguit
ardorem libidinis ſed accen
dit Ideo dicit͛ Cupiebat im
plere ventrem ſuum .i. concu
piſcentiam ſuam Luce. xv
Luxurioſi grauiter puniunt͛
a legibus ⁊ a deo. Ideo cum
relatum eſſet iude ꝙ thamar
ex adulterio ꝯcepiſſet ait. du
cite eam vt ꝯburatur Gene.
xxxviij. Duo ſenes luxurioſi
volentes ſuſannam opprime
re. a populo ſunt grauiter la-
pidati Danie. xiij. Grauiter
puniunt͛ qui luxuriant͛ in ſa-
cro loco. nam tempore anthi
ochi templū luxuria fuit ple
num . quod ſumme deo diſ-
plicuit ⁊ ideo eos graui acer
bitate puniuit. ij. Machabe
oꝝ. vj. Mulier in adulterio
deprehenſa mandabat͛ a mo
yſe lapidari. Leui. xx.

De maledictione qua de
us maledicit